



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi  
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismus  
Catholicus, summam Christianæ institutionis III. libris  
succinctim complectens**

**Klinge, Konrad**

**Coloniae, 1570**

**VD16 K 1309**

1. Quid propriè sit excommunicatio.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-29452**

## ARGUMENTA.

1. *Quid propriè sit excommunicatio.*
2. *Quinam sint excommunicandi, & propter quam causam.*
3. *Quæ sint damna Excommunicationis.*

**E**XCOMMUNICATIO est separatio à communione Ecclesiæ propter enorme peccatum seu factum contra fidem & charitatem proximi: & fundatur in Euangelio Mat. 18. Si peccauerit in te frater tuus, corripe illum: &c. & si te non audierit, dic Ecclesiæ, ut citetur, admoneatur, corrigatur, quòd si nec Ecclesiæ audierit, sit tibi tanquam Ethnicus & publicanus. Sed quid est hoc, sit tibi tanquam Ethnicus & publicanus? idem est, ac si dixisset, nullam cum eo habeto communionem: nam eiusmodi communio est Christianis interdicta. Quæ pars fideli cum infideli? quod enim Israëlitis erit Cananæus, hoc est Christiano infidelis: habuit olim synagoga gladium, quo interfici iuebantur qui summo sacerdoti non obedirent. At Ecclesia spiritalem habet gladium & virgam, qua punit transgressores, scilicet excommunicationem: quæ potestas ideò data est Ecclesiæ à Christo, ut sit virga ad correctionem filiorum Ecclesiæ, tanquam si parentes utantur flagello propter disciplinam seruandam: nam vult Deus gloriosam & mundam fore suam Ecclesiam & Christianam congregationem, saltem à publicis scandalis & enormibus peccatis, sicut Apóstolus ait: Fornicatio & omnis immunditia nec nominetur inter vos.

Secundò, Excommunicatio non est ob quamuis causam vel leue peccatū facienda, sed debet accedere alia remedia, ut admonitiones, quòd resipiscat, & poenitentia ultima esse debet excōmunicatio. Christus igitur docet excōmunicare illos, qui peccant contra præcepta

1.

2. Cor. 6.

Deut. 17.

Ephes. 5

2.